



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt LII. Alias quoq[ue] seu Principum, seu aliorum hominum varias mortes à diuino nutu pendere, & justis de caußis accidere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

C A P V T L I I .

*Alias quoque seu Principum, seu aliorum hominum variæ
mortes à diuino nutu pendere, & iustis de causis
accidere.*

I.

 Vi morbo vici ex hac vita decedunt, facile mortem suam vel naturæ, vel suæ intemperantia, vel diuina prouidentia possunt attribuere. At ferro casu, equo lapsi, insidijs intercepti, laqueo adjudicati, vel à sicarijs trucidati, sæpe quæstionem mouent, quo Numinis judicio id continget? Enim uero percussores, & ad quævis homicidia projectos, sinit grassari Gubernator Mundi itidem iustis de causis. Utitur enim illis aliquando tamquam carnificibus & punitoribus rerum; aliquando, ut effectoribus Martyrum; aliquando, ut protectionem suam contra eos manifestet. Quemadmodum enim Angelum misit, qui jam jam, vibrato in filium gladio, percussum Abrahamum cohiberet, ita sæpe & alios, è præsentí periculo, eripit, oppositu clypei, ac defensionis suæ interiectu. De S. Martino Turonensem Episcopo hæc scribit Sulpitius: *Quia Seuer. in vita in pago æduorum gestum sit, referam: Vbi dum templum isideneretur, furens Gentilium rusticorum in eum irruit multitudo. Cumq; unus audacior ceteris, stricto cum gladio peteret, reiecto palio nudam cervicem percussori præbuit. Nec cunctatus ferire Gentilis, sed cum dexteram altius extulisset, resupinus ruit, consternatusq; diuino metu, veniam precabatur. Nec dissimile huic fuit illud, cum eum idola destruentem, cultro quidam ferire voluisse, in ipso ictu ferrum ei de manibus excussum, non comparuit. In S. Carolum Borromæum Deo supplicantem in templo, a neam impius insidior fistulam explodens, mortem innocentissimo viro cum plumbea glande inferre conabatur; sed irrito ictu; globus enim in summa cute hesit, vi suâ destitutus, nec ulterius progrederi ausus; quod Deus in solam vestem, non etiam in carnem sanctissimi viri fecisset ei potestatem. Nimirum, Qui habitat in adiutorio Altissimi: in protectione Dei cali commorabitur. Sub hoc scuto tutius est, quam sub Orci galea latitare. Falluntur miserè, qui nescio quas schedulas, ignotis characteribus inscriptas, & amuleta.* Acheron.

S. Sulpitius.
S. Martini.
cap. 23.

Ibid. cap. 14.

Psal. 90. 18

Acherontica vel deuorant, vel è collo gestant, ut non possint vulnerari ferro, vel traijci plumbo; possunt tamen baculo sanguino contundi & inuersa hasta cominus mactari; aut stanno, vel lapide eminus occidi. Aut ergo nescit diabolum esse mendacem, qui ei credit; aut fatuus est, qui sciens fallaci fidem adhibet: dignus arte perire sua.

Quamuis etiam absque hac arte alij perire merentur: ut quid enim illi alijs vitam eripiant, & vitam ipsi seruent suam? Sinit illos Deus percutere, suo tempore vicissim percussurus.

Cum Anno 1580 27. May Bartholomei Entij consilio propugnaculum urbis oppugnarent, temeritate quadam absentes, Entius globo per cranium adacto percussus animam efflavit, pirata omni scelere, omniflagitio, omni libidine contaminatus, cui jampāne per decennium mercatorum bona diripere, mercatores ipsos in mare proturbare, feminas nuptas & innuptas constuprare, ludus erat: eoq; impudicitia inuenit, de reb. in oē recundieq; deuenerat, ut Brilie Hollandia non erubuerit honestam honesti ciuius filiam, tam diu per vim impudenter detinere, quam diu Lammanus comes eam constuprasset. Narrari solet, inter multos mercatores, quos innocentes aquis suffocarāt, unius cadauer eum, quoniamq; nauim suam flecteret, esse per aliquot dies insecurum. Hec & fædiora sceleratoriaq; ab ipsis commilitonibus narrantur, & scribuntur. Itaque vel cadauer homicidam secutum de cæde accusauit, atque à justo Iudice Deo vindictam poposcit. Quæ sæpesera, sed ampla venit. Ut enim amnes quidam repente se condunt sub terram, & tamen nihilominus eò perforuntur, quò tendunt: ita Numinis ira, licet occulta, tamen aliquando nocentes in extremas aufert calamitates. Cadauer illud, in omnium oculis, conscientiaque stimulans tacitè piratam sequebatur, & identidem accusabat, donec Deo videbatur esse tempus vindicandi. Nulli non sua merces datur. Quidam morte afficiuntur, vt ne, si prouuant, mortem, post præclaras facinoras, mereantur. In recentioribus historijs, refert Paulus Orosius, Theodosium Comitem, Theodosij, qui postea Imperio prafuit, patrem, à Valentiniano missum ad debellandas Maurorum gentes, eas fusas multis prælijs fregisse; ipsum Firmum afflictum & oppressum coegisse ad mortem: postea, cum experientissima prouidentia totam-

II.

Laurent. Sub
in Cōment.
de reb. in oē
be gestis.
An. 1580,

Paulus Oros.
lib. 7. histor.
cap. 33.

cum

cum Mauritania Africam meliorem pristinis legibus reddidisset, instimulante, & obrepente inuidia, mercedis loco, jussum interfici. Et huic quidem hoc contigit immerenti; alijs talia, quæ meruerunt, euenerè. Quis autem scit, quid Theodosio futurum fuisset, si superuixisset? Ut enim medici, quibusdam morbis occurunt prius, quam appareant, ita Deus quædam morte præuenit, ne fiant, sinitque innocentes pati in hac vita, ne nocentes in altera cogatur grauius plectere. Hinc quosdam, etiam per prodigia, magistratui obijcit reos.

III.

Audiui narrantem, è Chronicis Heluetiorum, non quidem de toto, sed de parte cadaueris, post longos annos sequente, & reum ad vindictam prodente, eiusmodi historiam. Quidam seniculus, Lucernæ in hospitali, jam longam ætatem vicitabat, ab omnibus habitus simplex & probus. Accidit aliquando, ut otiosus, inter reliquos vetulos & vetulas, insolationis causa, pro foribus domus hospitalis assideret, ut istis in more est. Ibi eo vel fabulante, vel nictante, per longissimam urbis plateam, horrificus descendit molossus, demortui hominis caput ore ferens. Et cane, & capite conspecto, tremor metusque invasit cunctos. Sed canis imperterritus per medium stantium sedentiumque turbam irrumpit, & seni jam septuagenario, aut octogenario caluum cranium in sinum imponit, eoque relicto, nullo edito latratu tacitus abit. Admirantur insolens factum omnes, & senem intuentes obstupescunt: qui consternatus surgit, pavamque fatetur, ante triginta annos, puerum à se studiosum, in monte siluaque vicina occisum; eò quod sperasset, se pecunias apud eum reperturum, reperisse autem non nisi tres cruciferos; corpus in fossam abiecisse, agnoscere autem, caput occisi nunc ad se delatum, quia à puerō ad Dei tribunal citaretur. Caput est igitur, & in tam sera ætate capite plexus, ut supplicio suo doceret, supremum judicem nullius facinoris, etiam in filiis & nebris facti, memoriam amittere, & vel mortuos esse homicidiorum suorum accusatores.

IV.

Moschus
Euitatus in
Prat. Spirit.
cap. 166.

Quæ res alijs multis potest exemplis demonstrari. Valde luculentum illud Moschi. Dicebat Abbas Sabbathius: Cùm sederem in Monasterio Abbatis Firmini, venit latro quidam ad Abbatem Zonim

sumum Cilicem, & rogabat senem dicens: Fac charitatem, per Deum te
precor, quia multis homicidijs obnoxius sum. Fac me monachum, ut
jam tandem desistam a sceleribus meis. Senex vero exhortans illum,
facit monachum. & sanctum habitum dedit. Post modicum vero tem-
poris dixit ad illum senior: Crede mihi fili; non potes hic habitare: nam
si audierit princeps, tenebit te. Similiter autem & aduersarij tui ne-
cabunt te: sed audi me. & ducam te ad Cœnobium Abbatie Dorothæ
prope Gazam & Maiumam. Illic igitur iuit. Ubi cum moratus
esset annis nonem, didicisset Psalterium, & cunctam monasticam
obseruationem, rediit rursus in Firmiani Monasterium ad senem, &
ait illi: Fac misericordiam mecum, pater, & da mihi vestimenta mea
secularia, & recipe monastica. Senior autem tristior effectus ait illi:
Cur fili? Qui respondens ait: Ecce nouem (ut nosl, Pater) annos
egi in cœnobia, & quantum potui jeunauis, & continenter vixi, &
cum omni quiete, & timore DEI fui in subiectione, & scio, quia illius
infinita bonitas multa peccata mea remisit mihi. Verumtamen aspicio
sapientem puerulum adstantem, & dicentem mihi: Cur me occidisti? hunc
autem aspicio in somnis, & in Ecclesia: & cum ad Communionem
pergo; & in Refectorio hac eadem mihi dicentem, & vel unde horum non
sinit me quietescere. Ideo itaq, Pater, abire volo, ut pro puerulo moriar.
Frustra enim, & sine ulla causa occidi puerulum ipsum. Sumptis ergo
vestimentis suis, exiit. Et cum sic induitus pergeret Diopolim, tentus
est, & sequenti die decollatus. Mira vis conscientiæ, tremendum
Dei judicium. Ita est; latro quidem fuit iste, sed poenitens.
Poenitentem latronem in ipsa cruce recepit CHRISTVS. Leguntur
& alij latrones in claustris poenitentiam egisse. Iste & Mundum
deseruit; & in Cœnobium se inclusit, nouem totis annis homici-
dia sua vigilijs, jeunijs, orationibus, alijsque poenitentia operi-
bus conatus est expiare, & non expiavit; donec in sæculum re-
gressus magistratui se se offerret, ceruicemq; carnifici præberet.
Nimirum publicum supplicium meruerat, & qui gladio vsus
fuerat, gladio debuit perire, ut vel puer occiso satisheret. Adeò
efficax est accusatio innocentum; quorum sanguis, sicut san-
guis Abel de terra usque ad cælum clamat. Altus est clamor, qui
hinc eò usque pertingit. Sunt multi, quorum peccata vix aliter
quam morte possunt extingui. Inter quos sunt præcipue vene-

CCCC fice

ficæ & magi, qui vel suo sanguine, vel homagio alio se se dæmoni consecrârunt. Hi quia nimis crebrò & vehementer à Stygio insidiatore vexantur, tentantur, terrentur, & oppugnantur, nō possunt tot impetus sustinere, cùm præsertim flagitijs assueti facile relabantur; & tot infantes sine baptismo ab eis occisi, tot viri fæminæque vel veneno, vel arte magica interfecti, si eis ob oculos non obuersantur, saltem ante diuinum tribunal vindictam expetant. Et misericordia diuina est, si justitiae magistratum, & carnicifici tradantur, ut in rogo pœnitentiam agentes, incendia euadant inferorum.

V.

*Henric. Ran-
zou. in re-
sponsoria ad
consolatio-
nem.*

Nec mirum est, animam occisi venire, & intemperijs exagitare homicidam, cùm ille, de quo superius mentio facta est, caput suum, per canem, miserit ad reum accusandum; immò, cùm legamus alium, aridâ manu reum monstrâsse, ac prodidisse suum occisorem. Nam si Henrico Ranzouio credimus, viatori cuidam in itinere imperfecto, cùm de authore latrociniij non constaret, manus resecta est, & in carcere senatus Lizenhoensis è tigno in fumo suspensa est. Ibi exaruit, diuque siccissima pendit. Tandem post decem annorum interuallum, cùm forte fortuna author cædis in eam se domū recepisset, manus iam dum exanguis & exsucca, inexpectato prodigio stillare, & sanguinem recentem ex alto in subjectam mensam spargere coepit. Ad insolitam hanc pluuiam cohorrerūt omnes. Nec dubia fuit conjectura, hominem homicidij reum existere. Visa senatui referuntur; cuius mandato hospes in vincula coniicitur, qui evindens diuinum judicium agnoscens, haud tergiuersanter latrociniū, ante decem annos factum, à se perpetratum fatetur. Itaq; justam sceleris pœnam, quam sibi infligi vltro petiit, perfoluit. Est itaque & sanguini sua vox, quâ clamat in cælum, & sanguinem pro sanguine postulat. Sed naturæ proprius est, vt è carnæ, quamvis arida, manu sanguis erumpat: ossa ipsa quantumvis alba, sanguinem profundere magis repugnat naturæ; & tamen vel hinc nonnulli accusatorem habuere dicentes:

Exurgetq; aliquis nostris ex offib; vltor.

Io Beirlinck. Anno 1585. In agro Viennensi egressus fortè ad ferarum cibilia, ad an. Christi fido calo, nobilis Austriacus, dum secretiora lustra nemoris ingreditur, 1585. pag. 137.

molosi cuncta odore inuestigantes insolitum latratum edunt; humumq;
pedibus cuelentes ossa nine candidiora eruunt: seruat ea herus manu-
biorum in usus, & reuersus ad cultrarium defert: huc ut ille mani-
bus attrahuit, largum sanguinem è vestigio fundunt: territi nouo
portento, qui adfiterant, cultrarium urgent, candide anxijs pandat
reitam stupenda causas. Ille tremebundus multos sua mentis latebris
edicit nihil apud eos proficientes sermones; exanguia nam q;₃ ossa recen-
tem sanguinē stillare hand posse sine evidente D^EI opere cognouerant.
Ille igitur ultrò fatetur, trucidatum à se eo loco, ante annos 20. pere-
grinationis sua comitem, scelusq;₃ latuisse: nunc verò admirando hoe
euentus à justo scelerum vindice ad paenam depositi; quam, ut extem-
plo subeat, ne interiorē conscientia carnifice diutius torqueatur, sum-
mis precibus contendebat. Hinc perspicuum est, non solū Deum
nihil relinquere inultum, neque occisos dumtaxat vindictam
expetere, & manus suas lavare in sanguine peccatoris, sed ipsos quo- Psal. 57. 11.
que reos quiescere non posse in hac vita, per mortem autem sibi
illatam, ad quietem pertingere. Ad quā malfactoribus inferen-
dam magistratus obligantur. Vnde, ut scribit Carolus Siganus, Carol. Sigan.
Totilas Gothorum Rex rogatus ut parceret cuidam, qui virginī lib. 19. de Im-
stuprum intulerat, respondit: *Eisdem ingenij esse, delicto se ob-* perio Occid.
stringere, & delictorum supplicia impedire: omnino autem, aut hunc Anno 543.
poenas dare, aut Gothorum Rempubl. interire necesse esse. Theodatus
*postquam aquitatem dinitys posthabuerit, Deum Gothis minus propi-
tium esse factum: prstantius autem esse, justitiam custodire, quam
negligendo inuidiam concitare.*

Ita ergo & Mundus est gubernandus, ut conseruetur. Et VI.
vtitur Deus etiam iniquis ad justitiam suam demonstrandam,
dum reos punit per reos, & plectit, per plectendos, eos qui po-
nen meruerunt. Bertoldus Palatinus de Vitellspach, inquit Cæ- Cæsarius. l. 6.
sarius, iudex erat severissimus, ita ut furibus, etiam pro damno unius cap. 26.
oboli vitam auferret; Et, sicut à quodam Abbe audini, quoties
exiit, laqueos cingulo suo appendit, ne reorum pena caperet dilatio-
nem. Die quādam manū surgens, & laqueum cingulo suo solito subne-
ctens, huiusmodi vocem in aere audinit; Bertolde, quicunq;₃ tibi egresso
de castro tuo primus occurrerit, hoc laqueo eum suspendas: qui vo-
cem pro omniē accipiens, mox, ut egressus est, occurrit ei quidam.

Cccc 2

Scrub

Sculptus suis primò: quo viso, cùm satis doleres, eò quod hominem diligeret, dicebat illi: Doleo de occurrsum tuo. Cui ille respondit: Quare? cui ille: quia suspendēris. Et ille. Quare suspendar? Respondente illi Palatino, Nescio, sed prepara te ad confessionem, & ordina rebus tuis, quia voci divina resistere non debeo. Ille videns aliter esse non posse, ait: Iustus est Dominus, ego plures in domum meam declinantes insequens occidi, multis sua rapui, nec tibi domino meo usquam fidelis extiti, neque pauperibus pepercī. Et mirati sunt omnes audientes eius confessionem, & cognoverunt in eius morte, peccati pœnam esse à DEO. Et quia idem Palatinus sine misericordia iudicauit, cùm in ultionem Philippi Regis, quem occiderat, ab Henrico Mareschalco eius interficeretur, misericordiam quæsivit, nee innenit. Ita & furi & Iudici alias nimis crudeli, mercedem suam rependit Deus, qui, sicut latentes in apricum profert, ita palam sequentes hunc sauitiem vicissim experiri. Reges eos in virga ferrea, id est, in inflexibili justitia, ut exponit D. Augustinus, is enim rigor est virgæ feræ, ut non flectatur. Quia judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. Quemadmodum autem diuersa sunt crimina, ita diuersa quoque supplicia generaque mortis esse conuenit. Reges purpurā delectantur, hinc tot eorum sanguine aspersi rubuerunt. Magnates vino nobili & poculis se se solent oblectare, hinc tot eorum venenum vñā biberunt. Fures testa amant scandere, & domos alienas: hinc par est, ut etiam in patibulum ascendant. Lapides loquuntur blasphemari, hinc mandatum est, ut lapidibus obtuerentur. Ferro vtuntur milites, & ferro permuntur. Quid mirum est, jaculis perire iaculatores? aquis mernatatores & nauigatores? Fortunæ se exponunt latrones vel perimendi, vel perempturi; hinc in rotam aguntur.

VII.

Georg. Cedren An. 2.
Mauritij Imperat.

Atque ut pœnam delicto parem videamus, detrahentibus de honore atque nomine aliorum, vicissim membra detrahuntur, ut Zwickio factum alibi alibi docuimus. Georgij Cedreni verba sunt: Graci quidam in domo cuiusdam prandentes, eò prolapsi sunt, ut (more hæreticorum) in Virginem Deiparam connicia aliquæ execrationes iacerent. Horum reliqui illico a malis correpti spiritibus pœnas dederunt. Dominus autem dominus istius, per insomnium vidit sibi astare Deiparam: qua alloqui ipsum non dignata, pedes eius virgula,

la. veluti notis impressis, circumscriptis. Ille autem pro dolore flatim
euigilans pedes suos incisos ianuit. Gestatus in publicum, ibi expositus,
justum Dei judicium, & inculpata Virginis Deipara contra se in-
dignationem professus est. Nimirum eadem Christi parentis, quae
cultori suo Damasco abscessam manum restituit, conviciatori
quoque suo pedes abstulit; ut discerent alij honorem illi non au-
ferre, si vellent ambulare viam beatæ æternitatis.

Quæ autem furi & cruci sit affinitas, bellè expressit Edmundus Episcopus Cantuariensis, qui in vita sua identidem auditus est jactare hoc dictum: *prendere, & pendere, non nisi una inter se littera discrepant.* Quo dicto, teste Nouarino, significare voluit, admodum propinquum esse suspendio, qui digitos habet piceatos. Quemadmodum igitur paulò priùs recitata historia ostendit, vocem de cælo missam, quæ juberet, primò obuium, in patibulo suspendi, quem vtique jam laqueo maturum Deus sciebat; ita idem diuinus Iudex, alij diaboli auxilio vrenti, per ipsum diabolum similem exitum procurauit. Libet historiam ex Chronico manuscripto earum rerum, quæ in Palatinatu contigerunt, hoc apponere. Quidam rerum inopia pressus, & habendi cupiditate inuitatus, cum varios ditescendi modos secum expendisset, valde incitabatur, ut eam artem exercendam statueret, quæ sine magno labore opes alienæ adhuc mantur, & *velut magnetæ* ferrum, ita digitis trahitur argentum. Sed eum communis furunculorum exitus valde terribat. Meruit enim, ne, si deprehenderetur in harpagando, res sibi ad restum rediret. Quoniam igitur vidit, nemini à Deo id priuilegium dari, ut capere ei liceat, cum immunitate ne ipse capiatur, è Styge sibi magistrum quæsivit. Magum itaque adiuit, eumque rogauit, ut artem edoceret, callidè, & sine periculo suspendij tutoque furandi. Magus consilium in prompto habuit. Iussit enim eum, proximo die sabbati, nocturnis horis, ad patibulum accedere, & dicere inibi suspenso: *Heus tu, niger & aride frater, descende, mihi enim hoc patibulum debetur, responsumque sibi referri imperauit.* Paruit benevolus docilisque discipulus. Sed altera quoque vice sine responsione reuersus est. Pertinax est cupiditas. Quare tertio ad patibulum rediit, dumque eadem verba repeteret, hanc vocem

VIII.

Nouarin. in
Adagij. n.
992.

Cccc 3 audiuimus:

audiuit: Non ad hoc, sed ad Hirsangiensem patibulum pertinet. Hoc velut è tripode acceptum oraculum mago indicavit, qui proinde illum etiam atque etiam monuit, ut eum locum, quantum posset, vitaret, vel certè, ne in illo rei vlli alienæ manus iniiceret, alioqui certò futurum, ut & ipsi manus iniiciantur, immo & laqueus. Excepit vaticinium Iauernio, & aliquamdiu diligenter cauit fatalem locum; alibi fuit satis felix, nusquam præda vacans discessit, cum multa deprehenderet, numquam fuit ipse deprehensus. Verum etiam huic hominum generi suus est autumnus, quo maturescunt. Postquam enim multa passim clephit, accidit, ut, cum nundinae aliquando Hirschauge celebrarentur, ipse verò non longè inde abesset; vicinitate affectus, eodem quoque se conferret. Sed memor vatis sui severè statuit, omni furto absinere. Difficile est refrænare consuetudinem inueteratam. Quamobrem vix locum ingressus, in rusticum incidit, qui mercem recens emptam contemplabatur, & manu sursum ac dorsum versabat. Erat is culter curuatalis, cuius osseum manubriis bellè redibat in caput, & conduplicabatur, ut sibi ipse vagina esset, & commodè ac sine læsione in sacco posset ferri. Ad hunc oculos, mox etiam manus adjecit, sed minus dexterè. Nam & rusticus tam charæ merci intentior, manum illi in sacco deprehendit, eamque strictim tenens, Furem, Furem proclamavit. Adsunt illico lictores, capitur, magistratuī fistitur, in vitam illius reliquam inquiritur, torturæ admouetur, in qua alia fura multa (nec enim omnium meminit) fassus, furca adjudicatus, atque in prædicto, sibi debito patibulo suspensus, è sublimi loco docuit, non facilè peruenire fures ad astra: nam et si eò tendant, tamē plerumq; illos inter cælum & terram medios hærere.

IX.

Verum est quidem, multos ex hoc hominum genere de peccatis dolere, quorum animæ ad sidera usque ascendunt, sed iij desinunt esse fures, & transeunt in pœnitentes. De furibus Paulus ait: Neque fures, neq; anari, neq; ebrios, neq; maledici, neq; rapacis regnum DEI possidebunt. De pœnitentibus: Hac fuiſti, sed abluti es̄tis, sed sanctificati es̄tis, sed justificati es̄tis. Hac de causa finit fures capi, ut vel in vinculis pœnitentiam agant, qui in libertate positi numquam resipuerint. Hac de causa, nulli etiam ad Lucil.

Senee ep. 75.

cni

cui rapina ceſſit feliciter, gaudium recte durauit in posterum. Diogenes canem, non hominem agit, quando nimis properè effudit, Harpalum celebratissimum furem, contra Deos testimonium. Laert. lib. 6 dicere, quòd in illa fortuna tamdiu viueret. Desipuit tunc Philosophus, quia nesciuit patientiam & longanimitatem Dei, quæ ad pœnitentiam homines expectat: quam si non agant liberi, coguntur quodammodo agere captivi antè, quam ducantur. Quòd si enim, teste Lampridio, Alexander Seuerus adeò vindicta fuit furti, ut per præconem ſæpe edixerit: *Nemo salutet Principem, qui se furem esse noscit*: quis putet, vllum vel furtum, vel aliud facinus, apud diuinum tribunal fore impunitum? Omnis autem pœna huius vitæ infertur, ut liberet æternâ pœnâ pœnitentes: ad cælum dummodo veniatur, perinde eſt, quâ viâ veniatur. Eſi enim vique ſatiuſ eſſet non peccare, vbi tamen peccaveris, cùm per poenam & pœnitentiam eumduſ ſit ad cælum, illud verus locum habet: *Theodoſo nihil refert, humine, an ſublime putrefeſcat*. Nec ſanè refert, in aquis, an flammis, peste vel enfebris moriatur, dummodo morte iuſtorum moriatur.

Libet coronidis loco addere, quosdam etiam ludentes mori: quæ non eſt mors optanda: raro enim tales ſatis ſunt ad hanc luctam parati. Omnia alia cogitabant. *Tenent tympanum, & Iob. 21. 32 sitharam, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna descendunt*. Quare ut mortales à vanitatibus eiuscmodi, ac Bacchi festiuitatib⁹ abſterreat Deus, multa & terribilia exempla Mundo exhibuit, in quibus comœdiarum lætitiae in mœſtissimas tragœdias transierunt. Refert Paulus Aemilius alijque, Caroli Sexti Gallorum regis ætate, illuſtres, in au- lib. 10. de la regia, nuptias adornatas, quibus exhilarandis, rex ipſe volue- Franc. reb. & rit intereffe. Finem jam habebant dapes, mensisque remotis, lib. 9. cap. 10. dies in noctem, compotatio in tripudia, homines ad choreas iue- rānt. Ibi, reginā quoque in lætitias communes effusā, rex quinque alijs, ē præcipuā nobilitate, comitatus ſuperuenit: atque, vñ licentiū posſet laſciuire, larua vultum texerat, ex homine in leonem deformatus. A capite, per ceruicem, armos, & corporis ſuperiora, metuendi aspectū ſub juba dependebant, quæ ut cum veste coalescerent, pice liquata, conglutinabantur. Cætera ita erant

X.

erant tincta aptataque, ut leonem supernè villosum, inferius semitonsum referrent. Ad hunc modum & reliqui comites amicti, mira pedum agilitate, gestuumque varietate, ac Laconicæ saltationis pedemate, spectaculum faciebant. Excitauit ea saltatio, elegantia suâ, magnos applausus, præsertim, apud illos, qui scierant, quis Hercules sub leoninis exuvijs luderet. Itaque, ut quisq; voluit esse proximus adeò humanarum belluarum spectator, accurrit ipse quoque cum face regis frater, Dux Aurelianensis, de cuius tarda, cum scintilla in regis jubas incidisse, illoco flamma reluxit, pice ignem rapiente. A rege extemplo incendium in socios succurrere volentes, & pabulum, non remedium igni afferentes, est propagatum. Clarissima igitur repente extitit saltatio, & verè illustres fuerunt saltatores. Quin, ut nihil deesset ad representationis veritatem, sub ipsis laruis, fūti leones rugire cœperunt. Quatnor ex illis, velut in molesta tunica ambulantes, miserrimè vstulati, ante diem Cinerum, in cineres abierunt. Quintus in vicinam cellam delatus, superfusa partim aquâ, partim, ut quidque obuim erat, vino, ardantis tegumenti piceum furorem restinxit, Neptuno, & Baccho Vulcanum vincens. Rex ab uxore auxilium accepit. Biturgis ea vocabatur, quæ habebat tam longum, in veste, syrma, quod post se, per terram trahebat, ut eo subleuando tres pueri nobiles occuparentur. Eo igitur syrmate inuolutus rex, suffocata, oppressaque flamma, à præsenti exitio est liberatus. Ita prædictus Salomon, quando dixit: *Risis dolore miscebitur, & extrema gaudijs luctus cessat.* Ite, mortales, potate, saltate, rara est latitia sine sale, ut alibi & in Domino latari discatis. Verum iste luctus eos inuasit, qui in alienis nuptijs gaudere voluerunt.

XI.

Longè autem mœstiores nuptias, audiui à viro fide digno, Romæ celebratas, cùm ipse inibi versaretur. Duo riuales unius puella nobilis matrimonium amiebant: altero præualente, alter expectauit diem nuptiarum, & adeò etiam initium chorearum. Tum reliquis latissimè saltantibus ipse larvatus, cum alijs larvatis comitibus superuenit, scitissimeque chorum expressio mortuorum. In quo postquam satis desaltarunt, adhuc restabat, ut vnum in medium afferrent, qui capitis nutu, & manuum brachio-

brachiorumque, atque etiam pedum exanimi motu cadauer representaret. Rogavit itaque sponsum unus laruatorum, uti fatigatos seduceret in secretum cubile, ubi vultibus reuelatis, vini se se haustu possent refocillare. Annuit sponsus, & ipse se dum præbuit. Sed ubi ad locum secretum venit, circumdatuſ repentem à laruatim & strangulatus est. Detractis igitur vestibus, vestem ei Scenicam similem vestibus ludentium, inducunt, & vultum laruā tegunt, sellaque impositum cadauer ad sponsam in medium portant chorearum. Ibi inspectante tota hominum reliquorum corona, tamquam circa fictum funus varijs gestibus saliunt. Iam manum hanc, iam illam leuant, mox iterum relapsam; iam hunc, iam illum pedem attollunt, haud aliter recidentem, arque solent membra verè mortuorum. Ita inter saltandum, uno post alterum, dilapoſo, cum se solus, qui in medio tellam occupabat loco, mouere non vellet, accesserunt ad illum iij, qui choreas suas prosequi audie cupiebant, ut eum excitarent, sed frustra & vellicabant, & caput erigebant. Itaque illo, ceruice in humerum languide reflexa, immobili existente, tandem moræ impatientes, serio agendum censuerunt, illique laruam de fronte detraxerunt. Ibi & sponsus est agnitus, & verè mortuum agens inuenitus, cum quanto dolore amicoruſ & ipsius sponsæ, vos cogitate. Nimirū risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Interim, qui facinus patrauerant, se ſe, in nefcio quas plateas atque domos illatebrauerunt. Sponsa inter duos procos nullo potita eſt. Paranymphi, & qui Thalassionem canebant paulò antea, postea Lessum cecinerunt.

Verū ut humanarum voluptatum incertitudinem ac vanitatem tantò clariuſ perspiceremus, alia longè altiores nuptiæ, ne ad choreas quidem, aut epulas peruerterunt, sed eo ipso tempore atque hora à morte intercessæ sunt, qua domum ducenda erat sponsa. Rem Antonius Bonfinius ita narrat. *Ladislao Vn. Anton. Bon. garorum & Bohemia Rex, prastantissimam ad Gallia Regem Carolum fin. lib. 8. legationem, quâ filiam Magdalenam Ladislao defponsatam adduceret, Dec. 3.*

Huius Princeps fuit Vdalricus Pontifex Passaniensis. Ex Principibus Vngarorum ducenti; ex Australibus quoq; ducenti, ac totidem ex Boemis delecti sunt: qui forma, habitu, nobilitate apparatuq; pol-

Dddd

XII.

serent, & quisq; regno dignus videretur. E Patauiensibus centum delegit Udalricus. Quare septingentie equites in Galliam, purpura, an- ro, gemmisq; ornatisimi abierunt. Item virgines & matrona, que regiam sponsam ducent, quadringenta, splendidissimo cultu, ac vene- nustate. Omnes praterea quadriga aurata, gemmataq;. Inaudita in- super vestium, donorumq; luxuria. Eo autem die, quo Parisios legatio illa ingressa est, antè, quam consideret, de repentina regis Prage mor- tui interitu à tabellario admonetur. Quo nuntio consternata, cùm- clam Carolo regi generi necesse significasset, tanto Principem illum do- lore correptum fuisse ait, ut neq; responsum dare, neq; illam tristissi- simam abeuntem alloqui potuerit. Soluta hoc modo legatione suam quisq; domum mæstius rediuit. Nimirum, vt sapiens dixit: Risus dolore miscebitur, & extrema gaudia luctus occupat. Quæ cogitatio, quia & in voluptatem effusis fibulam iniicit, & dignitate hono- ris de superbia periclitantibus cristas euellit, D. Bernardus post- quam certo nuntio intellexit, Abbatem suum Eugenium in Sum- mum Pontificem electum esse, litteras ad eum dedit cedro dignas, in quibus inter cetera, etiam hæc leguntur: Confortare, & esto robuſtus, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum. Vindica tibi animi tui constantiam & vigore spiritus partem, quam dedit extra fra- tres tros tibi omnipotens Pater, quam & tulit de manu Amorpha in gladio & arcu suo. In omnibus tamen operibus tuis memento te esse ho- minem; & timor eius, qui aufert spiritum Principum, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in breui Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipsi te prædecessores cui, tua certissima & citissima decessione admoneant, & modicum tempus dominationis eorum pa- citatem dierum tuorum nuntiet tibi. Iugi proinde meditatione inter- hius praesentis gloria blandimenta memorare nouissimata, quia qui- bus successisti in Sedem ipsos sine dubio sequeris ad mortem. Atque hæc de varijs modis ac generibus mortium, ratione corporis, di- cta sufficiant. Nunc quoniam, etiam teste Epicteto, magis ne- cessarium est, animæ, quam corpori mederi, cùm præstet mori, quam male vivere, & quia à momento mortis pendet æternitas, videa- mus etiam diuersos modos moriendi ratione animæ, quæ tenta- tiones aut vincit, aut illis succumbens, victa malam mortem æter- num luit; vt discamus, in illo agone extremo potius coronam- trium.

Prou. 14.13.

S. Bernard.
epist. 337.
An. Domin.
11454

Anton, in
Meliss. p 1.
serm. 58.

triumphalem, quam æterna supplicia promereri. Ideò namq; tempus illud agon vocatur, quia in illo certatur pro re summi momenti. Neque sine gravissimis caussis illud certamen permitit cælestis Agonotheta, qui vt omnem vitam hominis vult esse tentationem; ita neque in termino vitæ vult nos esse immunes, vt semper vigilemus. De temptatione igitur paulò altius est disputandum.

C A P V T L III.

*In sua Dei esse judicia, quando homines tentari permittit,
sine vincant, sine victi resurgent.*

Erigus, famem, siti, carceres, morbos, mortes corporum, habere in diuina prouidentia locum, facile fuit ostendere; rectè enim illis vtitur summa illa & dominatrix potestas ad virtutis exercitationem, aut malorum facinorum pœnam. Illa maior est quæstio: An diuini judicij æquitas pati possit, vt homines labantur in temptationem? Siquidem, tesse lob, *Militia est vita hominis super terram*, seu, vt alia habet translatio: *Tentatio est vita hominis super terram*, nec vita tantum, sed etiam mors hominis est tentatio, quæ cum plena sit periculi, plena est etiam questionis; magis, quam si de fame, siti, morbis, alijsque malis agamus. *Accidentibus illis corporis malis affliti* Lactant. lib. 6. *homines ad DEV M plerumq; configiunt, mitigant, obsecrant, cre-* de ira. cap. 36. *dentes eum posse has injurias propulsare;* at quid juuat in peccatum cadere? quid tentari? an non, qui scandalum ponit, videtur esse cauſa ruinæ? Ita de ipsis temptationibus à Deo vel permissis, vel immisis quidam tentantur. Et certè, quam diu in mundo vi. Thom. de nimis, sine tribulatione & temptatione esse non possumus. Immò, nemo Kemp. lib. 1. tam perfectus est & sanctus, qui non habeat aliquando temptationes, & de linit. c. 13. plenè eis carere non possumus. Auget questionem communis hostis nostri ingenium vaferimum, odium plus quam inueteratum, artes & arma terrifica; hominum simplicitas, viriumque imbecillitas ad resistendum, experientia quotidiana succumbentium, etiam in ultimo mortis agone. Ut perinde hæc animi mors longè sit, quam corporis magis metuenda. Quā igitur judicij diuini æquitate, aut quibus justis de caussis hæc contin-

D d d 2 gunt?